RUDIMENTA HYGIENIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Antonio medico Tagliabue (medico)

RUDIMENTA HYGIENIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NECNON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.[RE] J. M. ZENDRINI
Prof. Ord. Historiae Naturalis

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Junii 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

TAGLIABUE ANTONIUS

EX MOZZATE IN PROV. NOVOCOMENSI



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

272

FRATRIBUS DILECTISSIMIS

HYGIENIS RUDIMENTA

NOTIONES PRAELIMINARES.

Hygien a graeco fonte originem suam ducit, videlicet a voce υγιης, sanus. Haec morborum causas inquirendo, nec non auxilia docendo, quorum ope causarum effectus praecaventur, praecepta tradit nobis pro salute tuenda; quoticumque autem adminicula quibus utitur, spectata eorum natura ad forum medicum aut chirurgicum pertinent, hygienes tunc medicinae prophilaticae nomen accipit.

Haec medicinae valdopere praestat, nam reconvalescentes, exantlato morborum cyclo, sanitati redonat, atque ejusdem usus constituit tunc curam hygienicam.

Apud veteres Hygienes fere totam medicinam constituebat; leges quibus populi antiqui regebantur, potissimum illae a Moyse editae, et denuo per Maomettum in medium

prolatae, pro maxima parte optimis hygienis principiis innituntur, et re quidem vera admirandus quam maxime est observationis spiritus qui harum legum institutioni praefuit. Gymnastica atque balnea apud veteres usus universalis et fere quotidiani erant; isti induebant vestes amplas, colorisque potius albi eo sub intuitu quod biemali tempore majorem calorem suppeditant, dum e contra tempestate aestiva frigidiusculam temperiem serbant. Nihilominus etsi optima praecepta edidissent, quamplures errores in hygiene antiqua adsociabantur, et hoc propter ignorantiam atque temporum superstitionem. Licurgus morte damnabat infantes qui debiles in lucem perventi, milites validi serius evadere potebant; et ut melius tueretur illorum constitutioni qui validi videbantur, jubebat eos in balneo frigido ponere statim ac ab utero expulsi essent; prava experientia quae pro infortunio nostris quoque diebus sectatores nonnullos habet. Licurgus et cum illo pleraque pars institutorum antiquitatis, magis iudigebant militibus quam cogitantibus, proindeque curabant prae caeteris corpus evolvere, musculos potius quam mentis facultate exercere, atque in eorum institutionibus gymnastica primum locum occu-

pabat. Sparta, Thebes athletis incolebantur; sed ad mentem *Cabanis* athletae apud veteres parvi habebantur in literis.

Triplex agentium genus in sanitatem influxum exercet; res quae nos circumdant, *circumfusa*; corpora cutis superficiei admota, *adplicita*; substantiae intus susceptae *ingesta*.

§. 1º Res Externae

Aër atmosphericus et *lux*. Aere sine intermissione renovato, ac luce solis prae caeteris homo quammaxime indiget, potissimum dum infans est atque dum corpus magnam evolutionem acquirit organorum, aër purus atque liber summae necessitatis advertitur.

Homo locomotione et ratione praeditus domicilium suum eligere debet in loco vento commoto; in urbibus praeponat habitationes vento et soli expositas, et sedulo caveat ab illis humidis quae circa angusta atria locantur, vel prope putea et similia. Extra maenia curare debeat ut domus habitationis haud sit in locis humidis aut paludosis.

Aqua transitus permagnum influxum exercent ad aerem renovandum in locis ubi percurrunt; etenim supra flumina ponuntur semper aeris currentes ac contro currentes.

In nostrorum montium convallibus, in omnibus locis ubi torrentes transeunt, aer purus invenitur, et habitatores sunt sani. Quoties e contra aquae stagnant, aut lente diffluunt, planitiei aer aquae ad instar stagnans est, ibique corpus non solum male evolvitur, verum etiam mentis facultates obruuntur, atque crentini observantur. Gaz qui evolvitur a carbonibus comburentibus, nec non a torribus ardentibus, nullum spargit odorem, et tamen enecat. Nil citius respirationis animalis aerem atmosphericum alterat.

Quoties magna hominum copia, vel animalium in loco angusto convenit, fomitem periculo pleuum infectionis constituit, proindeque quotiescumque in Nosocomiis plures aegrotantes accumulantur, typhus tunc evolvitur; in regionibus nimis habitatoribus repletis maximas caedes cholera peregit.

Cavendum itidem est ne plura individua in eodem cubiculo obdormiant; mala vobis, vestrisque filiis conclavia augusta et clausa parant, neque in eodem lecto plures pueri locari debeant, uti pro infortunio sat saepe contingit.

Vegetabilia noctu no tempore magnam gaz acidi carbonici evolvunt copiam, et quod gra-

vius est aeris oxigeninm absorbent. Propterea minime nocturno tempore vegetabilia quae odores exhalant, vel etiam absque odore in cubiculis retinenda sunt, ubi homines obdormiunt.

Si coacti sumus populosas urbes habitare, atque in domibus ubi plura individua conveniunt, tabula superiora seligere debemus, si vero e fenestris magnam coeli plagam dominari datum est, si solis radia cubicula nostra petere queunt, atque aeris currentibus exposita sunt, tunc dicere possumus immunes pro parte a pravis effluviis quibus plerumque obnoxii sunt urbium incolae.

Lampades quae lucem suppeditant nimis intensam, atque candela cujus flamma rubra ac tremula ita male illuminat, eadem fere ratione saluti infensa sunt. Procul dubio utile est ab illuminatione quacumque obtinere claram lucem, sed opportet cavere ne lumen nimis prope oculos ponatur. Homo qui operam suam navat, opitulante luce arte parata, per quantum possibile est conari debet, lumen supra caput locare, et nonnihil posteriora versus. Quoties autem hoc positum est anterius, vel ad latera, radia lucis directe in oculum agunt, et invita omni cautione globus oculi a vi quadam fere

insuperabili ad strabismum convergentem aut divergentem, cui illico assuescit, incitatur. Hac de causa numquam alicujus pueri cunabula ita locari debet, ut lux oblique ejusdem oculi perveniat.

Clymata in salutem quam maximum influxum exercent, atque hygienes variat pro diversa telluris regione. Indus vivere queit tantummodo oryza, aqua et lacte; regionum equinotialium incola balneis frigidis uti debet, ut tali pacto effectus elidat temperiei majoris nonnunquam illa sanguinis ejusdem; habitatores regionum occidentalium ac borealium nequaquam vitam ducere queunt absque cibis ac vino; si balnea necessaria ei sunt, haec tantummodo ad cutis transpirationem nimiam imminuendam ad ejusdem, mollitiem tuendam, ad vires muscolares reficiendas, nec non ad praecavendos aut sistendos malos effectus qui proveniunt a vivendi ratione saepe parum consulta, requirantur.

Regionum calidarum incola si ad boreales transfertur, quam maxime curare debet, ut praecaveat malos effectus aëris frigidi in suam constitutionem: indumenta ferat ex lana conflata, etiam sub aestiva tempestate, effugiat temperiei acerrimas mutationes: par-

va dein meri copio ac diaeta animalis magnas utilitates praestare possunt, dummodo organa ejusdem digerentia adhuc labefactata non sint a vivendi ratione nimis calefaciente regionum meridionalium.

Si e contra habitator nord sub tropicis vitam ducere debet, diaeta pardum incitante uti debet. Balnea frigida, victus vegetabilis, usus modicus fructuum acidorum, haud leves utilitates ferunt, porro sedulo ab omni excessu cavere debet.

Mutationes acerrimae temperiei causam frequentissimam suppeditant pro morbis pectoris; frigus humidum inter conditiones atmosphericas, pravius est; divea facili negotio immunia evadere potest ab istis perniciosis influxubus nostrorum clymatum. Homini oui labores, et inde consequenter salus adminicula unica sunt existentiae suae, nequimus illum suasum reddere ut sedulo vitet nonnullas morborum causas, quae saepe laetales evadunt.

§. 2.° Corpora cuti adplicita

Usus indumentorum ex lana confectorum omnibus necessarius est hyemali tempestate, saltem ad partem superiorem corporis te-

gendam; vel etiam aestivo tempore Homo qui opificii gratia coactus est operam suam navare in locis humidis, et ubi aeris currentes habentur, numquam vestes levas induere debet, neque potissimum istas exuere quoties sudore madidus sit.

Caligae ex lana parstae nimiam sanguinis copiam ad crura determinant, et dummodo usus necessarius non sit propter circumstantias peculiares ut salus tueatur, rejiciendae potissimum est in individuis generis junioribus; ast e contra non leves utilitates praestant in senectute, ex eo quod tunc praecavere debemus, saltem per quantum possibile est, ne sanguis nimia copia capiti recurrat, et ex alia quoque parte senes numquam nimis tecti sunt.

Pedulae ex lana, quae tantummodo pedem involvunt, ab omnibus uti deberent; etenim plerumque affectiones sive rheumaticae sive etiam catharrales originem suam ducunt a frigore pedibus admisso; et re quidem vera saepe observamus tussim pervicacem earum usui solummodo obtemperare, proindeque hygienicae istae pedulae omnino declarandae sunt. Generatim in nullum periculum incurrimus, et e contra magnas utilitates invenimus quoad salutem indumentis

nti, quae temperiem modicam et potius majorem serbant. Pectoris e contra adfectiones aquiruntur si frigore nos exponimus indumentis insufficientibus obtecti. Ex pueris qui ab uno ad quindecim menses perventi moriuntur byemali tempore, major pars a frigore eneeatur, nec non a morbis qui ab illo sequuntur. Silvestres incolae americae occidentales quia nudi incedunt, ad trigesimum perventi annum pro maxima parte affectionibus rheumaticis torquuntur.

In Anglia ubi pueri seminudi sunt, ac ubi foeminae vestes semper leves induunt, phthisis pulmonalis quam maxime crassatur. Londini quarta demortuorum pars per phthisim contingit. Phthisis nunquam ita frequens visa fuit in Gallia, quam sub imperio. Hoc tempore foeminae participes erant influxui bellico et vestes parum pudicae saepe morbum, de quo loquimur induxeruat.

Magni detrimenti proindeque est opinio illorum parentum, qui hyemali tempestate humera, bracchia atque crura puerorum nuda relinquunt sub mendacio validiorem reddendi eorum constitutionem. Ita quoque mos pravus est admissus a puellis ac mulieribus deambulandi cum collo ac pectore pro parte nudo. Indumenta porro neque nimis constrin-

gere debent, eo magis in infantia, ac prima juventute, quam maxime dein cavere oportet a pravo more quem habent nutrices nimis lintea circa pectus puerorum coarctandi. Nil magis contrarium corporis evolutioni quam compressio peracta a fasciis, atque vestibus nimis restrictis.

Imbustorum usus utilis non est, nisi utpote adminiculum ortopedicum, quoties enim columna vertebralis flecti minitatur, aut jam curvari coepit. Habitudo quam fere omnes foeminae habent nimis corpus constringendi, funestissimos effectus in eorum salutem parat, sive in adolescentia dum viscera evolvuntur, vel etiam postea, nam semper liberum circuitum sanguinis tali ratione impediunt. Vestes longae, frigidiusculae aestiva, calidiores hiemali tempestate sunt.

Balneum optimum auxilium hygienicum suppeditat, aestivo tempore balneum frigidum robur organis tribuit, atque magno cum utilitate nos defendit ab influxu caloris atmospherici, Balneum tepidulum promovendo cutis mollitiem nec non munditiem, potentissimum sistit adminiculum ad praecavendas adfectiones cutaneas, quaeque ita saepe evolvuntur propter contactum nonnullarum substantiarum, uti essent pulveres irritantes

etc. vel opificii gratia, vel etiam ob neglectam corporis munditiem.

Balneum periculosum evadere potest hominibus tussi laborantibus aut rheumaticis adfectionibus detentis; ita difficiliter sentibus convenire queit.

Frictiones in entim cum periculo, aut linteo, musculorum flexilitatem conservant, eorum vim intendunt, atque labores dissipant; si in pueris instituuntur quam maxime eorum evolutioni favent.

§ 3.° Substantiae ingestae.

Alimenta. Temperantia in victu inter praecipuas salutis conditiones habenda est; magni quidem momenti est selectus alimentorum, nam quin substantiae nimia in copia ingerantur, vesci possumus substantiis, quarum usus diu continuatus nocere queit.

Dives rejicere debet epulas substantiis aromaticis nimis conditas; haec abstinentia minime populo commendanda est; nam satis jam ac superque caret, atque unicum alimentum quod conditiones sociales ei concedit sistit in pauca panis copia, et prava polenta.

Hygienes divitibus consulit. Utinam hoc

286

quoque esset de pauperibus quin eorum miseriis illudatur. Nos curare debemus ne divites indigestione pereant; sed vae nobis si verba nostra miserum delactarent ad desiderium melius vescendi, et cum ejusdem utilitate. Hoc consilium otiosum est in ore juvenis medici, qui multum sentit, atque nihil potest; qui ex toto corde populum amat, attamen ejusdem sympatia impar est ad illum sublevandum a miseria in quibus versatur.

Nutritio in infantia. Generatim infans tantummodo lacte ali debet usque ad primam dentium eruptionem; inutile quoque evadit lactationem procrastinare ultra nonum aut decimum mensem, nonnullis vero casibus exceptis. Infantes minime lacte obrui debent, neque ut isti sopiantur, et quovis momento ubera praebeantur. Quoties puer per vomitum rejicit aliquam partem lactis jam coagulati, vel aliter, oportet minus saepe ubera suppeditare, aut etiam per paucum tempus in quavis vice; etenim vomitus in infante indicat semper conditionem morbosam ventriculi.

Potus. Aqua procul dubio caeteris optimum praestat potum, quaeque homini semper satisfacere valet; quoties vero de siti com-

pescenda agatur, aqua potam exhibet qui melius ad rem facit. Omnes vero aequaliter minime satisfaciunt, atque selectus institnendus de illis magni momenti est. Nostra in Langobardia parva sunt mala ab aqua malae notae producta; nostrae regionis aquae generatim bonae sunt, atque intra limites nonnullos coercebimus hygienicas circumspectiones quoad aquas ad aliquas generales animadversiones.

Aquas sabbus calcaribus praeditae externam dentiam superficiem, sive smaltum, laedunt; illae quae stagnant, aut lente diffluunt difficilis digestionis sunt, eorum usus quam maxime confert ad strumae evolutionem, et cretinismi, ex eo quod istae aere carent. Utilem quoque reperimus aquae unionem cum aliquibus acidis, uti acidum aceticum, succus limoniorum; adsociatio horum acidorum minus noxias reddit aquas nonnullas parum salutares, quoties a dura necessitate coacti sumus illis uti. Limonea ex acido sulfurico parata nuper commendata fuit utpotu auxilium prophilaticum contra terribilias aegritudines quibus obnoxii sunt homines qui plumbum tractant etc.

Mixto ex aceto et aqua utpote potus placet, atque melius sitim compescere videtur

quam acqua simplex; ast incommodo non destituitur, cutis enim transpirationem excitat, atque omnes sciunt quod medicamenta diaphoretica alterant, et valde debilitant.

Succus limoniorum e contra actionem tonicam exercet, quae vires intendit, ac transpirationem imminuit; ideo ad aquam acidulam reddendam anteponendus est; et eo magis ejusdem usus suadendus quia in nostris regionibus pauci pretii est.

Potus frigidi, videlicet ad aeris temperiem utilitatem minime dubiam praestant, atque calidis anteponendi sunt, quoties homo perpendatur sub statu salutis. Nihilominus facile concipere possumus quomodo nonnullae circumstantiae potuum frigidorum usum proscribere queunt, praesertim hyemali tempore. Semper ac sedulo cavendum est ne sumatur potus frigidus, corpore aestuante; adfectiones pectoris graviores ut plurimum consectaria sunt hujusdem erroris; parvum tamen damnum expectari potest ab aqua vel potu aliqua absumpto aestuante etiam corpore, dummodo statim iter, aut labores quae sudorem excitarunt, continuentur; caeteris paribus lac frigidum mala parit majora ac aqua frigida.

Vinum modice sumptum valde praestat ad

sanitatem tuendam; vir sapiens adcomodare sibi debet copiam quae convenit, nonnullis sufficiunt paucae unciae meri optimi in die; dum homo validus qui in duris laboribus operam suam navat; una vel duo librae requiruntur, si temperans esse vult.

Cerevisia quoque magnae utilitatis est; haec suppeditat potum tonicum, nutrientem, atque potissimum individuis nervosa constitutione praeditis. Nihilominus convenire debemus quod cerevisia haud rite fermentata difficilis digestionis est, atque actionem saepe damnosam exercet in membranam mucosam vesicae urinariae; hac de causa ufficia quae publicae sanitati praesunt saepius visitare, ac vigilare deberent fabricatores hujusce potus, recentis usus in Langobardia.

Alcohol, et omnes potus spirituosi, qui vulgo sub nomine liquorum veniunt, magno cum emolumento vino substitui possunt. Nullus opifex habetur qui nesciat paucas meri uncias majus robur tribuere, et illum melius sustentare quam parvum vasculum *aquavitae*. Potissimum antea quam cibus sumatur potus alcoholici malum exercent influxum. Usus ideo illorum omnino inutilis est, et per quantum moderatus sit, semper damnosus evadit; haec consuetudo periculo ple-

ad haberi debet etiam homini qui tantummodo parvum vasculum de die sumit; neque aliqua rara exceptio haud regulam infirmare valet; omnes liquores alcoholici fortes aut dulces sint, nulla exceptione admissa *aquavite* ad instar damnosa dici merentur. *Medicamina.* Unusquisque cavere debet a medicaminibus commendatis ab individuis medicinae profanis, et potissimum ab agyrtis; numquam deveniendum est illis utpote specificis habitis, quin antea medicum consilium postulant. Omnia haec pharmaca, omnes pulveres ac cerata tamquam certissima celebrata, tantummodo utilitatem praestant, venumdatori qui in crumenam condit pecuniam credulorum, atque aegro damni semper sunt, quia meassum tempus terit.

Hic autem in mea mente venit digressio pulcherrima circa agyrtas a clarissimo Professore Flarer edita in ephemeride medica doctoris Bertani. Illi, qui ideam sibi fingere vult circa agyrtas in rebus medicis, atque de gravitate studiorum quibus illa ephemeris occupatur, nos consulimus lecturam illius historiae de exophtalmo, in qua pulcherrime effinguntur phisiologia, historia, et conditiones agyrtarum temporum tum elapsorum, tum presentium, non exceptis Omeopathicis

qui occupant ac detinent artem salutarem illam adulterando.

Medicamina nuncupata pharmaca cautionis, quae nonnulli sponte sumunt contra mala futura nullum alium effectum praestant, nisi salutem praesentem alterando quin aegritudines praecaveant.

Corpora Eterogenea. Pulveres. etc. Nonnulla opificia, quin evitari possit, exponunt homines ad contactum, ingestionem, et absorptionem substantiarum nocentium; nos optamus ut medicina melius circa hocce argumentum operam suam impendat, inquirendo auxilia quae praecavere valeant aegritudines ab istis causis prosilientes; exoptamus ut una cum legibus melius exercitium nonnullarum artium defendat, uti essent illae lapidarii, calveolari, coqui, pistoris, foricorum purgatoria etc. nec non illorum qui plumbi praeparata tractant. Sed haec una cum legislatore silet, atque male istas artes compensat, easque indefensas relinquit, quarum nonnullae summae necessitatis sunt.

§. 4° Praecepta in morbis sequenda.

Ille qui in adversam valetudinem versatur, ab omni labore statim abstineri debet, atque diaetam severam servare. Æger dum medicum expectat, lectulum interea petat, et caveat a quocumque medicamine a vulgo commendato, uti vinum calidum etc. tantummodo aliqua decoctione ex hordeo, malva, gramine, confecta, vel aqua sacharo condita uti potest.

In oculorum morbis, illico aegrotantes ad medicum confugere debent; plures unum aliumque oculum, vel etiam omnem videndi facultatem amiserunt propter eorum negligentiam; quaeque nonnunquam ad aliquas dies vel etiam paucas horas restringitur, ac sufficit ut mala irreparabilia locum habeant.

Morbi contagiosi. Graviores sunt variolae, ejusdem modificationes, rubeola, scarlatina, scabies, tinea favosa, hydraphobia, syphilis. Quoties aliquis se exponat ad morbum contagiosum suscipiendum, sicuti quando contrectatae fuissent vestes aut lintea alicujus scabiosi, animalis pustula maligna demortui, optimum esset consilium ut omni cum diligentia ac diu partes suspectas infectionis

ablueret cum chloruro sodii, vel aqua saponis. Si in parte suspecta aliqua cutis excoriatio adest, illico oportet eam cauterio inurere, opitulante lapide infernali.

In casu ustionis ante omnia oportet in aquam frigidam partem combustam immittere, vel eam tegere fomentis frigidis quae omni horae momento mutari debent; in frigoris usu oportet per plures horas continuare, ut praestare possit emolumentum. Aqua pura et frigida remedium constituit caeteris anteponendum ubi agatur de vulnere ex contusione illato.

Haemorrhagiae. Quotiescumque ab aliquo vulnere magna in copia fluere videmus sanguinem rubrum minime cunctari debet, sed oportet illico haemorrhagiam sistere; bocce sub intuito adminiculum aliis praeferendum est vulneris compressio, vulgo *tampone*, quae fit cum substantiis mollibus, et plagam cludendo. Talique pacto sanguinis fluxus praepeditur, vitam ita aegrotanti servando, donec medicus supervenerit.

Venena. Veneficium per insitionem. In casu morsus alicujus serpentis venenosi, aut introductionis sub cute veneni cujuscumque, illico super digitum vel partem vulneratam ligaturam arctissimam peragere oportet non-

nihil supra partem morsu detentam, ut praepediatur veneni circulatio, postea ad medicum statim devenire oportet.

Quando morsus ab animale hydrophobo peractus fuit, ad ligaturam devenire oportet, si agatur de vulnere alicujus extremitatis; postea vulnus abluendum est cum chloruro sodii; vel saltem illo deficiente cum aqua, et dein per quantum possibile est statim cauterio inuratur a medico; cauterium profundum ac bene peractum vulneris omnino necessarium est in casu morsus ab aliquo animali hydrophobo peracti.

Veneficia ex Ingestione. Ubi venenum quodcumque in ventriculum perventum sit, ante omnia vomitus cieri debet, vel aegro praebendo solutionem ex tartaro stibiato ad dosim quatuor vel quinque granorum in unciis quatuor aquae distillatae, vel ei suppeditando aquam tepidulam mellitam vel saccharatam, aut quoque fauces titillando cum summitate calami scriptorii. Ad vomitum excitandum attendere debent mediciaae profani, quoties haud agnoscant naturam veneni ingesti. Haece vero detecta, ea antidota, quae praeberi possunt donec medicus supervenial.

Fungi venenati. In primis per vomitum rejici debent, dein exhibeatur uncia olei se-

minum ricini, clysmata purgantia, postea aqua destillata florum aurantiorum, quae aqua simplici et nonnullis etheris guttis adsocianda est; haec mixtura cochleatim sumi debet omni quinto horae momento. Ubi deficiat aether et aqua florum aurantii, exhiberi potest aqua valde acidula ex aceto, vel succo limoniorum.

Narcotica. Opium, ejusque praeparata, hyosciamus, belladonna, stramonium. Curari oportet ut aeger expergefactus maneat; illum excitando, vellicando, agitando, atque ei praebendo ad breviora temporis intervalla magnam copiam infusi coffeae arabicae, quod omni quinto horae momento dein rursus suppeditari debet.

Acida concentrata. Antidotum, aqua saponis.

Alkalia fixa. Juvant aqua valde acidula, et albumina ovorum in aqua agitata.

Sales mercurii. Sublimatus corrosivus; sales cupri, sulphas cupri etc.

Antidota sunt: albumina ovorum in aqua agitata, lac aequa dilutum; farina in aqua suspensa.

Arsenicum. Juvant peroxydum ferri hydratum, ovorum albumen in aqua suspensum, lac, aqua calcis.

Plumbum, ejusque praeparata; prodest limonea ex acido sulfurico parata, sulfas et carbonas sodae in aqua solutum, ovorum albumina agitata.

Prima auxilia quae requiruntur in asphixia submersorum, suspensorum, et a gas deleteriis peracta, sequentia sunt.

Submersi locandi erunt in latere dextero, caput nonnihil elevatum sit; amoveri debent repagula quae circa nares et os stant; ambabus manibus amplectenda est pars anterior abdominis, eam sublevare, eamque derelinquere dum latera thoracis comprimuntur, ut arte respiratio revocetur. Eodem tempore frictiones in corporis superficie institui debent; sternutatio quoque excitanda est, pulverem nicotianae tabacci in nares mittendo, easque vellicando cum summitate calami scriptorii. Eadem auxilia prosunt ad respirationem revocandam in suspensis

Asphyxia a carbonibus. Æger nudus super terram ponendus est, minime statim in lectulo calido locari debet, magna cum vi in corporis superficie aqua calida injicienda est; penicilli ope frictiones instituantur ad plantas pedum, et secus spinam dorsi, conamur ut acetum vel ammonium inspiret, atque respirationem excitare iisdem auxiliis utpote in submersis.

In asphyxia porro orta a gaz qui evolvitur in cisternis, et foricis, aegri inspirare debent chloruretum sodii, aut chlorum solutum in aqua, caeterum eadem auxilia ac in asphyxia a carbonibus peracta.

Haec pauca hygienis rudimenta, quorum praxis individualis omnibus facilis et populo aptior evadere potest in hac brevi dissertatione ut rite satisfaciam institutis academicis ad medicinae lauream assequendam, offero.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Facies animi speculum.

II.

Cachexiarum primus fons gymnasticae artis privatio.

III.

Consuetudines omnes pravae etiam non impune relinquuntur.

IV.

Chloroseos frequentia in civitatibus educationi imputanda.

V.

Crescente morum mollitie, medicinae necessitas increscit.

VI.

Dolor est beneficium naturae.

VII.

Lues venerea virtuti naturae medicatrici pertinaciter resistit, nec sponte unquam sanatur.